De Mercurii Statua

Vulgo Iasonis habita.

Commentatio Archaeologica

Quam

Summorum in Philosophia Honorum

Auctoritate Amplissimi Philosophorum Ordinis

In Universitate Fridericia Guilelma Rhenana

Rite Obtinendorum Caussa

Una cum Sententiis Controversis

Die XXVIIII. Mensis Martii Anni MDCCCLX

Publice Defendet Scriptor

Hermannus Lambeck

Thorunensis Borussus.

Adversariorum Partes Suscipient:

Augustus Reifferscheid, Phil. Dr.
Wolfgangus Helbig, Semin. Reg. Philol. Senior.
Bernhardus Foss, Semin. Philol. Sod. Ord.

Thoruni.

Typis Typographiae Senatus.

Christiano Augusto Brandisio

Ernesto a Bunsen

Georgio a Bunsen

Ottoni Jahnio

Hunc libellum

Grati Animi Testem

D. D.

Hermannus Lambeck.

Statua in qua explicanda disputatio mea versabitur in tabula adiecta delineata (1) primum publici juris facta est a Rossio et Maffeio[1], tum a F. et P. Piranesiis fratribus[2]) meliori imagine expressa, a Bouillone[3]), cuius pictura ad exempli similitudinem proxime accedit, a Claraco[4]) aliis.

Nihil tamen Maffeius qui primus quod sciam emisit simulacrum, neque ubi neque quo statu repertum sit, nobis tradidit. Etenim imagini haec tantum verba subscripsit: „L. Quinzio Cincinnato che chiamato dall'aratro alla dittatura trionfò degli Equi. Livius lib. 3. cap. 26: fù nella Villa Montalto di dove è stato trasportato nel Palazzo Regio di Versaglia", in explicationibus (p. 65 sqq.) autem Cincinnati historiam secundum Valer. Max. [5]) et T. Livium enarrat, quam quidem non gravate ei remisissemus. Verum enim vero cum Winckelmannus[6]) signum olim in villa cui nomen Montalto, postea in villa Negronia asservatum esse scripserit, Viscontius[7]) villam Negroniam solam, in qua haec statua longum per tempus remanserit, nominaverit, quocum consentiunt Bouillon[8]) et Schornius[9]), Claracus[10]) contra dixerit: „elle se voyait à Rome, à la villa Montalto ou Negroni," in ea quidem re

---

1) Raccolta di statue antiche e moderne (Roma 1704) tav. 70.

2) Mon. antiques du Musée Napoléon (Paris 1804) p. 51.

3) Musée des Antiques (Paris 1810) Tom. II. P. 6.

4) Musée de Sculpture ant. et mod. (Paris 1841) Tom. III., tab. 309 n. 710.

5) Lib. IV., c. 4, 7.

6) Gesch. d. Kunst, Buch XI., Cap. 2, S. 4.

7) Oeuvres, Tom. III., pag. 241.

8) Explanat. ad tab. 6.

9) Beschreib. d. Glyptothek Ludw. I. v. Bayern (München 1842) p. 160.

10) Descript. d. Musée royal des Antiques d. Louvre (Paris 1830) p. 258 n. 710.

virorum doctorum dissensio nullius momenti est. Id autem constat a Ludovico XIV. emptam esse una cum ea quam Germanici vulgo appellant statua, ab eoque in pinacotheca quae Versaliis est collocatam, inde in Luparae museum translatam esse. Viscontio [11] teste e fragmentis duarum similium figurarum composita est. Corpus pentelici marmoris, multis micae venis permixti[12], caput e marmore factum est quod Grechetto vocant. „Mais comme la tête „pergit“ lui convient cependant admirablement bien, tant par son expression que par la position retournée du cou, il faut croire qu'elle aura appartenu à quelque répétition du même simulacre.“ Eadem quae Viscontii etiam Bouillonis sententia est, quae nobis quoque vera esse videtur, adspicientibus caput toti et statui figurae et compositioni membrorum aptissimum. Cum autem de ceteris corporis partibus nostro tempore instauratis, Bouillon non eadem tradiderit quae Claracus, amicum Parisiis habitantem quem cognitum habeo magno amore antiquas artes amplecti, litteris adii, ut diligenter statuam inspiceret. Comiter ille quidem et quanta fieri cura potuit illud studuit, ut quae antiqua essent in illo simulacro, quae serioris aetatis, accurate et verbis et delineationibus adnotata, epistola ad me data transmitteret. Ac primum quidem observationibus suis descriptionem statuae, quae legitur in libro cui titulus: ‚Manuel de l'histoire de l'art chez les Anciens. Description des Musées du Louvre 1e partie de Clarac (J. Denouard éditeur 1847) pag. 243, n. 710‘ praemisit: „Le bras et l'épaule gauche, la moitié de l'avant bras droit, la main et une partie de la jambe droite de notre Jason au dessus des malléoles, un peu de la jambe gauche en arrière entre le mollet et les malléoles un peu de la jambe gauche en arrière entre le mollet et les malléoles ainsi que le soc de la charrue sont modernes. Mais les pieds, une partie de la chaussure, et tout ce qui tient à la plinthe et au rocher sont antiques. Cette plinthe ayant été scellée dans une autre plinthe moderne a donné lieu à quelques équivoques. Il est assez singulier que ce qui reste du derrière de la chaussure antique sur la plinthe ne ressemble pas à cette même partie de la sandale chaussée[13]). La tête antique est rapportée et un peu petite pour le corps, elle est en marbre grechetto, hauteur 1 mètre 949 et hauteur de proportion 1, 841.“ Quibus verbis amicus haec addit: „Toutes les remarques qui précèdent sur les parties modernes et antiques de la statue sont d'accord avec mes observations, et je vous ai indiqué par des hachures les endroits modernes, et l'étendue qu'ils occupent sur la statue (vide figuram sub Nr. I. depictam). J'y ai joint d'autres détails qui pourront aussi vous être utiles; la tête a un morceau moderne, le sommet, de plus le

---

11) Mus. Franç. par Robillard Peronville, t. 4 part. 3 conf. Meyer. ad Winckelmann. l. s. s. annotat. 6 (edit. Donauösching 1825.)

12) Conf. Bouillon l. s. s. Petit-Radel apud Piranesi l. s. s. p. 110. Clarac. descript. p. 258.

13) Alter calceus, ut minoris momenti opus, non eadem qua corpus figurae ab artifice factum esse videtur diligentia.

menton la lèvre inférieure, et l'extrémité du nez ont été rapportés quoiqu'ils me semblent antiques. On peut être étonné que la tête soit au marbre différent du reste, elle a été rapportée, mais bien sûrement elle a été rapportée dans l'antiquité. Enfin la différence observée dans la chaussure déchaussée, fait penser que la partie a pu être substituée à une autre époque, quoique évidemment cette restauration, si elle a eu lieu, a dû être faite encore dans l'antiquité, le travail de cette partie ne laisse aucun doute."

Altera nostrae similis statua anno MDCCLXXI Tibure, Meyero[14]) auctore, ut accuratius ait Viscontius[15]), „dans le lieu de la ville Adrienne appelé Pantanello" a Gavino Hamiltone e terra effossa nunc in possessione Marchionis a Landsdown in Shelburne-House Londinii asservatur[16]). De statu quo ad nos hoc secundum simulacrum pervenerit non idem est nec Goedii[17]) nec Viscontii nec C. Odofredi Mülleri[18]) iudicium, quorum primus quidem: „Sie ist schön erhalten und der Körper ist von vortrefflicher Arbeit", alter: „sa superficie était un peu rongée", et tertius nostra aetate novis partibus completum esse contendit: „Neu daran ist das linke Bein vom Knie abwärts, der rechte Fuss, der rechte Arm vom Ellenbogen ab und der linke ganz, ein Stück des Halses und Alles was zum Tronk und zur Basis gehört, aber alles dies ganz richtig ergänzt, indem den neuen Bildhauer die Vergleichung jener ehemals zu Versailles befindlichen Statue leitete." Utut haec sunt, facere non possum cum Müllero, qui hanc statuam rectissime dicit esse instauratam, nisi forte a Claraco allata imago eius non recte expressa est; ibi enim laevum brachium non eodem modo quo in nostra statua additum est[19]). Iuvenis enim nostra imagine ante oculos positus dextra manu genu inflexo calcei vincula pedi adstringit, laeva manu versus dextrum pedem admota, contra in illa, quae in Angliam translata est statua, dextrum quidem brachium nostrae statuae brachio simile est, sinistrum autem brachium non versus dextrum pedem protentum, sed chlamyde qua dextrum femur genu et sura obtegitur, involutum est dextroque femore innititur. Praeterea caput illius imaginis paulo plus ad laevam conversum est, oculis magis ad coelum erectis.

---

14) Loco in annotat. 11 commemorato.

15) Oeuvres III., p. 239, annot. 1.

16) Perperam apud Müllerum (Handb. d. Arch. d. Kunst § 412, Anm. 4) legitur: „Wiederholung in Shelburnhouse . . . auch im Landsdownhouse". Shelburnhouse enim Marchionis a Landsdown est, in cuius collectione artis operum una tantum statua iuvenis, qui uno pedi calceamentum adaptat, invenitur. Mülleri error in Pylii quoque dissertationem de Medeae fabula Part. II., p. 15 irrepsit.

17) England, Wales, Irland und Schottland, T., IV., p. 43 conf. Les beaux arts en Angleterre, ouvrage . . . traduit de l'Anglais de M. Dallaway, publié par A. L. Millin, Tom. II., p. 68.

18) In Böttigeri Amalthea III., 242 sq.

19) Clarac, Musée de Sculpture, Tome V., tab. 814 n. 2048 A.

Magnitudinem eius naturalem esse Millinus apud Dallaway auctor est. Viscontius autem eam pulcherrimi stili esse adfirmat, quod quidem imagine apud Claracum exhibita comprobatur.

Simillima Parisino exemplo in ea quoque re quod sinistrum nudum brachium ad dextrum pedem porrectum est, minor tamen duabus quas commemoravi statuis, tertia in glyptotheca Ludovici I. Bavariae regis exposita est statua, a Schornio[20]) his verbis illustrata: „Wie bei der Pariser Statue hat der Kopf ursprünglich nicht zur Figur gehört; er ist etwas klein, von anderem Marmor und anderer Arbeit. Der Torso, der Tronk, das linke Unterbein sammt Fuss, Plinthus und dem darauf liegenden Schuh, auch die hintere Hälfte des rechten Fusses sammt der rechten Hand und dem Riemen, welchen sie hält, sind aus pentelischem, der Kopf aber aus parisch-salinischem, und der linke Schenkel, welcher ebenfalls antik scheint, aus gewöhnlichem parischem Mamor. Ob diese Zusammensetzung antik oder modern, lässt sich nicht entscheiden, sie bildet aber mit der höchst gelungenen modernen Restauration ein vortreffliches Ganzes. Neu ergänzte Theile sind ein Theil der Wangen, der Unterlippe und des Kinns, beide Arme, das rechte Bein, und der rechte Vorderfuss. Die Höhe der Statue beträgt 3′ 5″. — Reperta est in villa, quae non longe abest a Tibure, Hadriana, prope Landsdownii statuam, inde in Ducis Braschii denique in Maximiliani Josephi possessionem pervenit. Lineis expressa est iuxta eam quae nunc in Anglia est statuam apud Claracum, et in monumentis ad Winckelmanni opera omnia illustranda additis (ed. Donauösching.) 100, et hac quidem accuratiore imagine, quippe qua calceus quem ut vidimus antiquum nuncupavit Schornius, a Claraco non expressus, depictus sit.

Iam commemoranda videtur esse quarta statua ab eis quae modo enumeravi signis eo diversa, quod lapidi iuvenis laevum sublatum pedem imposuit, cui crepidam alligaret. Edita est a Viscontio[21]) Millino[22]) Claraco[23]), in ultima tamen pictura dens aratri, apud Viscontium in plintho situs, omissus est. Sed illud non edocuit nos Viscontius, quo anno et qualis ea quam designavit statua reperta sit, sed primum parvam hanc figuram eo maxime commendari dixit quod, quamquam minori arte facta, omnibus tamen priscis partibus ei persimilis sit signo, quod olim in villa Montalto fuerit. Tum summis laudibus effert eam quam Winckelmannus proposuit nostri simulacri explicationem de qua infra copiosius agam, et Romanum sculptorem mythologicae inscitiae arguit, quod laevum iuvenis pedem sustulisset, eo fortasse consilio ut minus contortum efficeret corporis habitum[24]). Denique addit,

---

20) Beschreibung d. Glyptoth. etc. v. Schorn u. Klenze p. 160 num. 150.

21) Museo Pio — Clement. Tom. III., tab. 48.

22) Gal. mythol. t. 102, num. 416.

23) Musée de Sculpture, Tome V., tab. 814, n. 2047.

24) Equidem non video contortiorem esse pede laevo sublato statuam, quam quae dextrum saxo imposuerit.

recentes imaginis partes ex eo expressas esse, quod in Luparae Museo hodie collocatum sit signo.

Itaque cum primae tres quarum mentionem feci imagines ita inter se consentiant, ut figura eis expressa dextro pedi sublato calceum induat, veri est simile, eas celebre quoddam artis monumentum imitari. De quarto autem signo quam ob rem laevus potius pes saxo impositus sit, difficile est certo constituere, cum in ea re scriptorum testimoniis prorsus destituti simus.

Priusquam de nomine nostro simulacro indito disputabo, praemittenda est quantum quidem fieri potest accurata descriptio, cui in reliqua commentatione velut fundamento insistam. Ea autem imagine utar quae apud Bouillonem exstat, utpote qua, ut iam supra dixi, exempli quod Parisiis unum ante annum vidi species ac pulchritudo optime effingatur.

Gracilem et praeclaram conspicimus adolescentis formam, pulcherrima nuditate expositam, nam brevi tantum chlamyde sublati contegitur dextri femoris pars, dum chlamydis lacinia super truncum, quo firmitatem daret statuae ab artifice additum, dependet. Quo figurae augeatur proceritas, is qui confecit signum pedes et genuum iuncturam tenues, collum paulo longius, caput parvum effinxit. Summa autem artificis ars ea quoque re cernitur, quod musculorum motum dextro pede statuae saxo ad laevam arboris iacenti insistente, trunco ad dextrum latus inflexo, brachiisque ad dextrum pedem tendentibus effectum, interruptum tamen, cum iuvenis subito caput erigeret et ad laevam converteret, ita ut brachium sinistrumque humerum sursum paululum traheret, ad verum expressit. Caput enim et laevum crus in recto posita sunt conspectu, in femoris autem et laevi brachii musculis tractus ad dextram una cum motu ad sinistram assurgente, ad naturam accommodate redditus est imagine nobis proposita. Quae quam symmetriae conveniens facta sit vel inde intellegitur, quod linea a media recti pedis patella ad mediam sinistri pedis patellam perducta, paribus intervallis distat ab ea, quae ab interiori laevi pedis articulo ad interiorem dextri pedis articulum ducitur linea. Figura igitur, ut supra monitum est, dextro pede calceato in saxo collocato, dextra manu tria lora adducit, ita quidem ut lorum primum et secundum ad dextrum crepidae latus alligatum, inter indicem et medium digitum sita sint, lorum tertium autem ad laevum soleae latus affixum, indicem inter et pollicem compareat, quarto et quinto digito interiori manui appressis. Quo quidem digitorum habitu significatur, iuvenem calceum dextro pedi devincturum esse, id quod non perficit, sed cum aliquid acciderit, quo animus eius attentus reddatur, paulum in calceo sibi inducendo insistit capiteque erecto ad laevam prospicit. Fortasse aut sonus quilibet aut loquentis cuiusdam verba ad aures pervenerunt, quae sedulo percipit. Quo facto dextrum calceum plane religabit laevoque pedi elevato alterum quoque arbori appositum adaptabit calceum, denique chlamyde humeris iniecta ad iter paratus erit. Qui

autem nunc est eius status, neque corporis habitu neque vultu aut festinatio aut ullus animi affectus repraesentatur, nisi quod istuc adolescens quieto animo aures advertit, unde sonitus quidam appulit. Agedum paulo diligentius pulcherrimum iuvenis vultum contemplemur. Nulla neque superbia nec animi elatio oris ductibus expressa sunt, neque magna resplendet oculis fortitudo, attamen nescio quid elegans, molle, placidum inest vultibus, quod quidem brevibus capillis leniter crispatis, parvo ore paululum aperto, naso gracili, mento praeacuto et capite paulum inclinato manifesto apparet. Fronti non admodum altae sed potius latae non subtiles cogitationes nec magna sapientia, sed prudens ingenium proptumque insidere videtur. Verum cum os non plenum sed ut totum corpus, quod iam supra commemoravi, satis tenue effictum sit, Winckelmanni[25]) verba, quibus in describenda Apollinis Vaticani utitur imagine, in nostram quoque figuram quadrare videntur[26]): „Der Künstler hat dieses Werk gänzlich auf das Ideal gebaut, und er hat nur eben so viel von der Materie dazu genommen, als nöthig war seine Absicht auszuführen und sichtbar zu machen.“ Idem sentire videtur is qui Musei Parisini explicavit monumenta[27]), cum dicit, iuventutis florem — sempiternum addiderim — ore elucere, dorsi lumborumque (des reins) extrema lineamenta summa esse praestantia, quasdam autem anterioris trunci partes non nihil in se habere quod reprehendi possit (moins irréprochable peut-être), quam in reprehensionem veteris artificis opus non incucurrisset.

Sin autem quaerimus, quemnam virum sculptor nobis proponere in animo habuerit, viri docti ante Winckelmanni aetatem L. Quinctii Cincinnati imaginem hoc signo repraesentari putabant. Winckelmannus[28]) contra ostendit, Cincinnati nomen ei simulacro prorsus non convenire. Ac primum quidem affert nuditatem Romanum eumque consulem non decere, quoniam Romani illustrium virorum imagines — Pompeii statua excepta — togatas formassent, ea quidem re a Graecorum exemplo recedentes[29]). Alia a Fea ad hunc Winckelmanni locum afferuntur argumenta quibus demonstretur, eo quod videmus signo Cincinnati imaginem exhiberi non potuisse, quorum alterum est quod imberbis sit nostra statua[30]), alterum quod iuveniles prae-

---

25) Gesch. d. Kunst, Buch XI., Cap. 3, § 11.

26) Magis etiam haud dubie in vetus exemplum, quod imitatus est qui nostrum sculpsit e marmore signum, convenirent.

27) Bouill. l. s. s. (I. Victor).

28) Gesch. d. Kunst, Buch XI., Cap. 2, § 5.

29) Plin. lib. XXXIV., 10: „Graeca res est nihil velare: at contra Romana ac militaris thoraca addere“; conf. Winckelm. Trattato prelim. p. 88.

30) „Wäre in der Statue Cincinnatus vorgestellt, so würde sie einen Bart haben, welchen man zu jenen Zeiten, im Jahre Roms 296, und auch ungefähr 200 Jahre hernach trug; die ausgezeichneten und berühmten Männer jener Zeiten wurden immer mit einem Bart abgebildet“, et q. s.

beat corporis formas, cum Cincinnatus tum cum ab aratro ad dictaturam avocaretur, tres filios habuerit, quorum maximus natu nonnullos ante annos eloquentia bellique gloria floruerit. (Liv. III., 11 et 19.)

Itaque Winckelmannus aliam nostrae statuae explicationem his quidem verbis proposuit:

„Folglich (weil sie nackt dargestellt ist) ist die Statue, von der wir reden, eine heroische, und wenn ich nicht irre, bildet dieselbe den Iason, da er, unerkannt wer er war, nebst Anderen von dem Pelias, seines Vaters Bruder, zu einem feierlichen Opfer an den Neptunus eingeladen wurde. Er wurde gerufen, da er pflügete, welches durch das Pflugeisen neben der Statue angedeutet wird, und da er durch den Fluss Anaurus zu gehen hatte, vergass er in der Eile den Schuh an den linken Fuss zu legen, und hatte denselben nur an dem rechten Fusse angeschnüret. Da Iason in dieser Gestalt vor dem Pelias erschien, lösete sich diesem das ihm gegebene räthselhafte Orakel auf, sich vor dem zu hüten, welcher mit einem einzigen Schuhe, μονοκρήπις, zu ihm kommen würde. Dieses ist, glaube ich, die wahre Erklärung gedachter Statue".

Quam quidem Winckelmanni sententiam multi viri clarissimi inter exteros potissimum summis laudibus comprobarunt suamque fecerunt; quo in numero Petit-Radelius[31]), Viscontius[32]), Millinus[33]), Bouillon[34]), Claracus[35]) nominandi sunt. Dallaway[36]) autem, cum de statua in Angliam transportata talia scripsisset: „statue . . . dans l'action d'attacher au pied sa chaussure, pareille à celle qui est à Versailles, et qu'on a supposée représenter Cincinnatus se préparant à commander les Romains", haec addit: „mais, selon Winckelmann, il est plus probable que c'est Thésée chaussant les sandales de son père Égée (Winckelm. Mon. ined. t. I. p. 88). Attamen in ea re vehementer erravit vir Britannus, cum neque eo loco ad quem nos revocat neque alibi quod sciam Winckelmannus de Theseo nostra statua expresso cogitarit. — Non ita magna comprobatione Iasonis nomen a popularibus viri illustrissimi exceptum est. Etsi enim non defuerunt qui aptissimam esse Ia-

---

[31]) Cette explication à la fois érudite et ingénieuse, adoptée par les plus savans antiquaires (Musée Napol. p. 110.)


[32]) Museo Pio-Clement. Tom. III. p. 239 . . ingénieuse et vraie . .

[33]) Gal. myth. tab. 102, num. 416.

[34]) Musée des Antiques, Tom. II., tab. 6.

[35]) Descript. des Antiques du Louvre 1830 p. 258: „Le nom de Cincinnatus, donné longtemps à cette statue ne convenait pas à la jeunesse du héros représenté: on s'accorde à présent, d'après Winckelmann, à y reconnaître Jason."

[36]) Apud Millinum, les beaux arts en Angleterre II., p. 86.

sonis formam huic imagini iudicarent, ut Goedius[37]), Schornius[38]), et nuper Th. Pylius[39]); alii tamen, Winckelmannianam nostri simulacri explanationem reiicientes, varias de eius significatione opiniones attulerunt. Inter quos Thierschius[40]) communi quo excepta esset Winckelmanni interpretatio consensu minime veram esse eam demonstrari contendit, praesertim cum debilibus neque quibus statuae vis explicaretur, inniteretur argumentis. Deinde ipse quod de nostra statua mente concepit his verbis exposuit: „Sie gehört zu einer beträchtlichen Anzahl ähnlich gestellter Werke, die ihren ersten Typus schon in der Prozession um die Cella des Parthenon haben. Sie stellen einen sich rüstenden Mann vor, der, während seine Hände noch mit Anlegung der Sandalen beschäftigt sind, mit seinem Geiste schon vorwärts dringt.“ Huic sententiae adiungit vir clar. exemplum ad eam rem illustrandam idoneum, Alexandri Magni exstare statuam[41]) aptissime iuxta Iasonem illum collocatam. Postremo haec profert: „In ähnlicher, wenn auch weniger bewegter Handlung sind alle Bilder der Art, auch der Iason hier und der in Paris, und was man neben dem Pariser für eine Pflugschar gehalten, ist eine Beinschiene (κνημίς), welche als Nebenwerk und an der Erde liegend ebenso versäumt ist wie der andere Schuh dabei, und desshalb etwas roh aussieht.“ Sed cum id quod Thierschius ocream, alii ad unum omnes dentem aratri nominaverunt, a recentiore appositum sit artifice qui, quae inesset huic statuae vis ac significatio non intellexerit, inde non facile tibi persuadebis, nostra statua iuvenem ad pugnam se armantem effictum esse. Quis enim in iuvene, qui crepidam pedi alligit, cum nulla praesto sint arma, bellum parantem agnosceret; quid? si ocrea adesset, quae non adest, cur non ocream sed soleam religaret nonne iure miraremur? Parum enucleate igitur ab artifice calcei loris astringendis belli praeparatio significata videretur. Quam rem ut argumentis probem, duo proferam e gemmarum a Tassieo et Raspio[42]) emissa collectione petita. Quarum in prima (n. 9277) nuda virilis figura laevum galeae imponit pedem, truncoque corporis paulum inclinato manibus ocream a talo usque ad genu porrectam, pede ipso nudato, colligat. Ad dextram herois alteram conspicimus ocream et infra ad laevam dimidiam scuti partem. Qua imagine virum in pugnam progressurum fictum esse apparet, quod quidem nomine  adscripto egregie confirmatur. Simili habitu vir altera gemma 9280 depictus, galea capiti imposita, chlamyde sinistrum humerum dorsumque operiente, laevum crus ocrea munit, dextro pede iam ocrea instructo; gladius eius de columna sive pila ad laevam posita, cui scutum

[37]) Reise in England, Band 4, pag. 43.

[38]) Beschreib. d. Glyptoth. etc., pag. 161.

[39]) Dissertatio de Medea, Part. II. p. 15.

[40]) Ueber d. Epochen d. bildend. Kunst bei den Griechen, p. 272, Anm. 1.

[41]) E palatio Rondanini in glyptoth. Monacensem translatam. conf. Schorn. l. s. s. pag. 163, num. 152.

[42]) A descriptive catalogue of engraved gems, Vol. II., tab. 52.

acclinatum est, dependet, pedes ipsi in hac quoque figura sine tegmine sunt. Plurima autem exempla militum non calceos sed ocreas devincientium vasculorum picturis exhibentur.[43])

Quae cum ita sint, Alexandri statua iuxta eam quam Iasonis vocant statuam apposita quam maxime ab hac discrepare videtur. Etenim non solum thorace prope Macedonum regem collocato[44]), sed etiam oculis ardore belli superiora appetentibus („sein in Begeisterung aufwärts dringender Blick") ex Thierschii sententia indicatur Alexandrum iam arma capturum, hostem appropinquare et alia; at Iason dextra manu calceamenti lora adducit, quo non ad belli sed pacis opera, et ad iter potissimum faciendum paratus sit, eiusque oculi nulla concitati belli cupidine quiete prospiciunt. Sed quoniam Thierschius ad figuras quasdam in Parthenonis cella effictas nos relegavit, duos quos in mente habuit adolescentes accuratius consideremus necesse est, quos quidem in occidentali zoophori latere, ubi ad pompam Panathenaicam apparationes exsculptae sunt, invenimus[45]). Alter eorum, zoophori paenultimus, cui petasus (apud Worsleium pars chlamydis esse videtur) a cervice dependet et chlamys fibula supra dextrum humerum connexa dorsum laevumque latus obtegit, sinistrum pedem in saxo collocavit et corpore paululum inclinato brachia pedem versus extendit quasi calceum colligaturus; prope saxum vero apud Worsleium alter calceus conspicitur ab aliis non depictus[46]). Prope iuvenem equus adstat quem mox ambobus calceis indutus conscendet. Quod autem adolescentis oculi non in pedem conversi sunt, sed aliud quid intuentur, id nullius momenti est ideoque fortasse ab artifice factum, quo significetur, non esse cur festinet in calceis induendis ephebus, cum ceteri quoque nondum ad pompam parati sint sodales[47]). Idem est

---

43) Gerhard Auserl. gr. Vasenb. IV., tab. 264. Etr. u. Campan. Vasenb. 13. Birch, Explanat. of the myth upon a fictile vase found at Canino, Archaeologia XXIX., p. 139 sq. conf. Otto Jahn, Zeitschr. f. Alterthumswiss. 1844 p. 244 sq.; in Gehardi diario archaeol. XII., p. 447 amphora musei Vindobonensis ab O. Jahnio his verbis descripta est: „Achilleus hat die rechte Schiene angelegt und befestigt die linke; Thetis reicht ihm den Helm mit der Rechten und hält in der Linken den Schild, ein nackter Jüngling hält die Lanze". v. Stackelberg Gräb. d. Hellen., tab. 10.

44) Galeam quoque, in qua Alexander dextrum constituit pedem (Müll. D. A. K. I. 40 n. 169), Thierschius commemorare potuit.

45) Depicti sunt apud Stuart. Antiquities of Athens, Vol. II. pl. 30 et IV., pl. 19 et 28, melius apud Carrey (conf. K. O. Müller in Osanni Alterthümer von Athen, beschrieben v. J. Stuart u. N. Revett, aus d. Engl. Band II., p. 671.). In. Elgin Marbles by R. Lawrence (London 1818 pl. 44. n. 78) unus eorum exstat, iuvenis galeatus; ambo in Mus. Worsleiano II., tav. 53 et 48.

46) „Die Zeichnungen bei Worsley liefern für sich nichts, was ohne dieselben unbekannt geblieben wäre, aber sind doch zur Ergänzung und Berichtigung in manchen Einzelheiten zu benutzen" (O. Müller loco modo allato p. 672.)

47) Goettlingius (Archaeol. Mus. zu Jena p. 10) fatigatum viatorem repraesentatum esse coniecit, „einen ermüdeten Reisenden"; sed cum talis summae Atheniensium sanctimoniae non conveniret, tum equo adstante ques denotatus esse videtur, qui agmene equitum claudat destinatus.

alterius iuvenis (undevicesimi a zoophori fine) habitus, qui galeatus pallioque ad talos usque porrecto indutus eodem quo prior consilio laevum pedem sustulit, dum oculis duos adolescentes equo citato advolantes adspicit (vide figuram nostrae tabulae II.). Quos si cum nostro signo diligentius comparaveris, fatendum erit, eos in calceandi quidem opere cum illo consentire — nihil enim refert hoc loco nostrum dextro pedi, ephebos in zoophoro effictos laevo pedi crepidam alligare — ceteris autem rebus omnibus prorsus ab eo discrepare. Illi enim ad certum finem calceos sumunt, scilicet ut ad agmen primum subsequendum parati sint, in eis itaque caput rei et propositum versatur, ut calceamenta sibi inducant, quibus nondum ad solemnem Atheniensium processum instructi sunt, quod autem caput erigunt, nullius prorsus est ponderis. Quae cum ita sint, non solum per eos qui circa iuvenes sunt apertum fit quales sint et quid velint, quippe quibus commune sit omnibus ea quibus ad equestrem pompam opus sit praeparare, ut iam supra monui, sed soli quoque ante oculos positi, nihil aliud praebent quam imagines duorum Atheniensium quorumlibet; nihil eorum in ore apparet quod certam significet personam, sed pulchra Attici oris lineamenta effícta invenias[48]). Alter vero in equum iuxta eum collocatum ascendit, alter galea et pallio insignis inter calceandum caput erigit fortasse quia servum exspectat, qui ei equum adducat. Nostrum autem signum cum artis monumentum perfectum et per se absolutum videamus, inquirendum est, quid senserit animoque complexus sit artifex, tum imagine nobis expresserit et ante oculos posuerit. Non id solum spectasse idve consilium habuisse videtur, ut hominis crepidam colligantis formam efficeret, sed ut adolescentem qui, dum calcei lora adducit, caput consulto erigeret animumque vel ad sonitum quendam vel ad verba loquentis cuiusdam attenderet, in conspectum produceret. Sed cum Thierschii interpretatio et nostrae statuae cum iuvenibus in zoophoro expressis comparatio, id unum respiciens quod calceos sibi inducant, animum attentum Parisinae imaginis vultibus manifesto expressum plane negligat, ut ad illustrandum totum eius habitum non idonea reicienda est.

Raspii vero sententia, qui gemmis supra (pag. 9) descriptis cum Landsdownii statua conlatis, summa confidentia in ea Achillem se calceantem agnoscit, tam futilibus argumentis nititur, ut eis refellendis supersedere possim.

Quartam signi Parisini explicationem publici iuris fecit Goettlingius[49]): „Vermuthlich ist . . in der Statue kein berühmter Heros, sondern ein griechischer Jüngling dargestellt, und zwar wohl entweder einer, der etwa einen Wettlauf halten will oder ihn eben sieghaft gehalten hat. Das letztere ist wahrscheinlicher, weil der wirklich antike wenn gleich etwas

48) Conf. Welcker, Alte Denkmäler I. p. 419: „Das Gesicht des Myronischen Diskuswerfers ist eines der schönen klugen und feinen Attischen, deren man im Panathenäenzug des Parthenon so viele unter einander verwandte nicht müde wird zu betrachten“.

49) Das archaeol. Mus. d. Univers. Jena p. 10.

kleine Kopf noch die Spuren der Anstrengung des Laufes trägt, was durch den geöffneten Mund und zugleich durch die Bewegung der Brust angedeutet ist".

Attamen iam supra vidimus iuvenem dextra manu calceamenti lora non solvere sed adducere, ita ut ad cursum se parantem expressum credas; si vero id solum in animo eius esset ut cursu certaret, tum festinanter eum calceos sibi inducturum esse exspectares iureque mirareris tam quiete caput erigentem. Nulla enim festinatio properatioque oris ductibus expressa est, sed, quod litteris amici Parisini, qui alius quoque artificum Graecorum operum amantissimi affert iudicium, quique exemplum iterum iterumque recognoverunt, compertum habeo: attentio incerta (de l'attention vague) et quieti oris ductus (des traits calmes en apparence). Pectus vero paulum contractum appareat necesse est, quia adolescens brachiis ad pedem dextrum protentis truncum corporis inclinat. Deinde fac eum certamine finito calceum sibi detrahere, nonne idem obstat quin eum pedibus contendisse putemus, quod nulla neque ori neque reliquo corpori inest animi viriumque contentionis significatio? Qua ratione artifex optime effingere debuerit cursorem, Myronis celeberrima illa Ladae statua edocere poterat, de qua epigramma praedicat[50]):

Οἷος ἔης φεύγων τὸν ὑπήνεμον, ἔμπνοε Λάδα,
θῦμον, ἐπ' ἀκροτάτῳ πνεύματι θεὶς ὄνυχα,
τοῖον ἐχάλκευσέν σε Μύρων, ἐπὶ παντὶ χαράξας
σώματι Πισαίου προσδοκίην στεφάνου.
πλήρης ἐλπίδος ἐστὶν, ἄκροις δ' ἐπὶ χείλεσιν ἆσθμα
ἐμφαίνει κοίλων ἔνδοθεν ἐκ λαγόνων.
πηδήσει τάχα χαλκὸς ἐπὶ στέφος, οὐδὲ καθέξει
ἁ βάσις · ὦ τέχνη πνεύματος ὠκυτέρα.

Itaque Goettlingii quoque sententia nostro signo cursorem qui modo pedibus certaverit repraesentatum esse, omni carere videtur probabilitate.

Ad Winckelmanni igitur ut redeamus, quam iam supra attuli nostrae statuae interpretationem, accuratius in eum Pherecydis locum quo ad explicandam imaginem usus est inquirendum est; leguntur autem in scholiis ad Pindari Pyth. IV. v. 133 haec[51]):

ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει. ἔθυε, φησὶν, ὁ Πελίας τῷ Ποσειδῶνι καὶ προεῖπε πᾶσι παρεῖναι. οἱ δὲ ἦσαν οἵ τε ἄλλοι πολῖται καὶ ὁ Ἰήσων. ἔτυχε δὲ ἀροτρεύων ἐγγὺς τοῦ Ἀναύρου ποταμοῦ. ἀσάνδαλος δὲ διέβαινε τὸν ποταμὸν, διαβὰς δὲ τὸν μὲν δεξιὸν ὑποδεῖται πόδα, τὸν δὲ ἀριστερὸν ἐπιλήθεται, καὶ ἔρχεται οὕτως ἐπὶ δεῖπνον. ἰδὼν δὲ ὁ Πελίας συμβάλλει τὸ μαντήϊον, καὶ τότε μὲν ἡσύ-

50) Anthol. Graeca III. p. 218, ep. 313, conf. Brunnium. Gesch. d. gr. Künstl. I., p. 147 sqq.

51) Pherecyd. Fragmenta ed. Sturz p. 180.

χασε, τῇ δ'ὑστεραίᾳ μεταπεμψάμενος αὐτὸν ἤρετο ὅ, τι ποιοίη εἰ αὐτῷ χρησθείη ὑπό του τῶν πολιτῶν ἀποθανεῖν· ὁ δὲ Ἰήσων, πέμψαι ἂν εἰς Αἶαν αὐτὸν ἐπὶ τὸ κῶας τὸ χρυσόμαλλον, ἄξοντα ἂν ἀπὸ Αἰήτεω· ταῦτα δὲ τῷ Ἰήσονι Ἥρη εἰς νόον βάλλει, ὡς ἔλθοι ἡ Μήδεια τῷ Πελίᾳ κακόν. Num putemus artificem, cum Iasonis signum effingere vellet, a Pherecyde consilium petiturum fuisse, quemadmodum Iasonis imaginem exprimeret, praesertim cum longe meliores praesto essent et quos sequeretur dignissimi auctores, poetas dico, qui veram pulchramque Iasonis formam versibus descripserunt.

„Die Kunst empfängt ihre nächste Anregung meistens durch die vorbildende Dichtkunst, und wir beobachten hier das bewundernswürdige Schauspiel, wie die bildende Kunst in ihrem Entwicklungsgange der Poesie Schritt für Schritt folgt, und was jene geistig anschaute zur gegenwärtigen sinnlichen Gestalt ausbildet, wie die duftende Blüthe zur Frucht reift. So erwachsen beide aus einer Wurzel, jede selbstständig, aber so innig einander verbunden, dass eine ohne die andere nicht erkannt werden kann". Ottonis Iahnii[52]) verba sunt quae quam vera rectaque sint, hacce illustrabitur disputatione. Praeclaris enim illis Homeri versibus[53]):

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ'ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
ἀμβρόσιαι δ'ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Phidiam, celeberrimum omnium temporum artificem, quasi divino quodam instinctu atque impetu concitatum esse ferunt[54]), ut imaginem Deorum hominumque rege dignam conficeret, Iovis notioni a Graecis conceptae tam aptam et accommodatam, ut poeta ille[55]) commune omnium iudicium enuntiare videatur dicendo:

Ἢ θεὸς ἦλθ' ἐπὶ γῆν ἐξ οὐρανοῦ εἰκόνα δείξων,
Φειδία, ἢ σύ γ'ἔβης τὸν θεὸν ὀψόμενος.

Quodsi aliis epigrammatis Polycletus solus mortalius Iunonem ipsam vidisse[56]),

---

52) Ueber das Wesen und d. wichtigsten Aufgaben d. archaeol. Studien in d. Berichten üb. d. Verhandlung. d. Königl. Sächs. Gesellsch. d. Wissenschaft. zu Leipzig, 1848, II. Band p. 225 conf. Beschreib. d. Vasensamml. Kön. Ludw. in d. Pinakoth. zu München v. Otto Jahn p. CCXXVI.

53) Il. I., v. 528 sqq.

54) Quod quidem probabile fit simulacro Jovis pectore tenus efficto, quod Otricolis repertum est, quoque similitudo exempli a Phidia confecti assecuta esse videtur; vide de hac re copiosius disserentem Henr. Brunnium, Gesch. d. griech Künstler Th. 1. p. 200 sqq

55) Philippus Thessalonicensis, conf. Anthol Graec. Tom. II., p. 225 ep. 48.

56) Anthol. Graec. II., p. 202 ep. 5.

Venus Praxiteli apparuisse[57]) celebratur, quid hoc aliud significet, nisi summos artifices Deorum speciem talem repraesentasse qualis Graecorum et cultu et poesi efficta fuit? Nonne probabile est, artifices qui heroum simulacra exprimere vellent, e poesi et fabulis omnibus notis[58]), quibus res ab illis fortiter gestae continentur, lineamenta imaginum duxisse[59])?

Is qui Iasonis signum facturus erat, praeter Pherecydem nullum habuit auctorem quo uteretur ut veram effingeret Argonautarumque duci cansentaneam corporis formam et habitum? Iam si putemus, eum Pherecydis narrationem ante oculos habuisse, quidnam apud illum invenit? nempe Iasonem oblitum esse alterius crepidae sibi inducendae[60]). Statuam nostram consideres quaeso: alteram alligat soleam, altera ad arboris truncum collocata est. Si is qui nostrum fecit e marmore signum id in animo habuisset, ut figura unam tantum crepidam astringeret, quam ob rem alteram tam prope adposuerit, prorsus intelligi nequit. Qua enim

---

57) Anthol. Graec. III. p. 200 ep. 245—48 conf. I., p. 170 ep. 9 et Jacobs. in Commentar. ad h. locos.

58) L. Urlichs, Ueber einige antike Kunstwerke p. 10.

59) Hoc eos revera in Iasonis quoque imagine effingenda fecisse, infra ostendam.

60) Ceterum Tzetzes (ad Lycophr. v. 175), qui quae Peliam inter et Iasonem acciderunt secundum Pherecydem (τὸ δὲ πλάτος τῆς ἱστορίας κατὰ Φερεκύδην καὶ ἑτέρους οὕτως ἔχει) aliosque memoriae tradidit, non dixit Iasonem soleae in pedem dextrum inducendae non meminisse, sed ille quidem Peliam oraculo monitum τὸν μονοκρήπιδα πάντως ἐν φυλακᾷ σχεθέμεν μεγάλᾳ (Pind. Pyth. IV. v. 75) Neptuno sacrificasse omnibusque ad sacrificium vocatis Iasonem vidisse μονοκρήπιδα, περαιούμενος γὰρ τὸν Ἄναυρον ποταμὸν

ἄλλο μὲν ἐξεσάωσεν ὑπ' ἰλύος· ἄλλο δ' ἔνερθεν
κάλλιπεν αὖθι πέδιλον, ἐνισχόμενον προχοῇσιν.

(Apollon. Rhod. Argon. lib. I. v. 10 sq.). Idem prodiderunt Apollodorus (lib. I., c. 9, 16: διαβαίνων δὲ ποταμὸν Ἄναυρον, ἐξῆλθε μονοσάνδαλος, τὸ ἕτερον ἀπολέσας ἐν τῷ ῥείθρῳ πέδιλον), Hyginus (fab. 12: Iason . . . cupidus sacra faciendi, dum flumen Euhenum (vid. Muncker. ad hunc locum) transiret, calceamentum reliquit, quod, ut celeriter ad sacra veniret, neglexit), Zenobius (Prov. cent. 4, 92: διαβαίνων δὲ ποταμὸν Ἄναυρον, ἐξῆλθε μονοσάνδαλος, τὸ ἕτερον ἀπολέσας ἐν τῷ ὕδατι πέδιλον), Philostratus (Epist. 18: .. λέγεται γὰρ τὸν Ἄναυρον αὐτοῦ διαβαίνοντος ποταμὸν ἐνσχεθῆναι τὴν κρηπῖδα τῷ ποταμῷ), Mythographus II. sive Lactantius Placidus (conf. Bodium, Prooem. p. VII. fab. 135: Iason . . . perdito in limo Anauri fluminis unius pedis calciamento) idem prodiderunt. Huc accedit Valerius Flaccus (lib. I. v. 81 sqq.), qui Iasonem humeris transtulisse Iunonem per Enipeum scripsit, et Hyginus, qui cum tradidisset Iasonem deam in anum conversam per Euhenum flumen portasse, haec addit: „Ea autem irata Peliae, quod sibi sacrum intermiserat facere, effecit ut Iason unam crepidam in limo relinqueret" (fab. 13). Iasonem Iunonem per flumen transvehendo soleam in luto defixam perdidisse Servius (ad Virg. Ecl. IV., 34) quoque monuit; qua quidem re summam Dearum reginae sibi conciliavit gratiam Aesonis filius. (Hygin fab. 22. Apoll. Rhod. III., 66 sqq.; IV., 1152; Val. Flacc. IV., 7 sqq. Odyss. XII., 69. Val. Flacc. V., 364 sqq; VIII., 318 sqq.; Orphei Argon. 63 sq., 363 sq., 810 sq., Meziriac, Comm. sur les epistres d'Ovide T. II., p 25 sq. Müller, Orchom. p. 262 (Schneidewin). Schwenck, d. Mythologie d. Griechen. p. 479. Geppert, Götter und Heroen d. alt. Welt, p. 109.). Omnes igitur quos enumeravi poetae et scriptores, uno Pherecyde excepto, Iasonem crepidam Thessaliae flumen transgrediendo amisisse tradiderunt, nemo eum unum sibi induxisse calceum alterum neglexisse, quorum consensu demonstratur, Graecos non probasse Pherecydis historiam.

re adduci possumus, ut credamus iuvenem illum alterum sibi non inducturum esse calceum? Laborantibus nobis Francogallorum vis imaginandi succurrere videtur: „On voit qu'il s'entretient avec le messager; sa surprise est peinte sur sa physionomie; il paraît distrait. On devinerait presque que l'autre pied demeurera nu, et que le héros va offrir aux regards de Pélias cet homme à une seule sandale désigné par l'oracle comme devant être son meurtrier, et que Philostrate, lettre 22, représente ainsi chaussé[61]. Nimirum Philostratus[62]) Iasonem uno pede calceato pictum esse scripsit, at vero neque hic neque ullus scriptor, quod quidem sciam, tradidit, Iasonis vel pictam vel ex aere aliaque materia ductam esse calceantis se imaginem. Praeterea nullum apud veteres vestigium inveneris adeo Peliae invitatione Aesonis filii animum perturbatum et tali modo obrutum fuisse, ut animi aberratione et nimia festinatione — quae quidem Winckelmanni opinio est — correptus, soleam laevo pedi alligare omitteret. Nihil autem inesse nostri signi vultibus cur suspiceris, aliquid improviso ei incidisse aut magna opus esse properatione, iam supra exposui. Sin vero reputaveris Peliam Aesonem regno privasse, dolo filii vitam ab illius ferocitate servatam esse[63]), prorsus nullam caussam fuisse cur inimici voluntati adeo festinanter obediret Iason, ut ne tempus quidem ad ambos calceos induendos necessarium sibi sumeret, libenter mihi concedes[64]).

Iam alterum argumentum, quo impedimur quominus nostro depictum esse signo Iasonem existimemus, ex artificis ingenio repetendum esse videtur. Pulcherrimo enim opere insigne quidquam vel grave vel quod aliqua auctoritate sit mente effictum in conspectu eum

[61]) Clarac. Descript. p. 258. Bouill. l. s. s. Petit-Radelius et Millinius ll. s. all. Iasoni improviso incidisse putant aspectum Iunonis ex anu in pristinam eius formam conversae.

[62]) Adde Philostr. iun. imag. VII. καὶ κρηπῖδα ἐνῆπται.

[63]) Pind. Pyth. IV., v. 105 sqq. Tzetz. ad Lycophr. v. 175.

[64]) Rectissime Goettlingius (Arch. Mus., zu Jena p. 9 et 10) contra Claraci quam modo adscripsi sententiam haec affert: „das stimmt wieder nicht mit Pherecydes' Erzählung, nach welcher Iason nicht über die ihn frappirende Einladung den Schuh vergass, sondern als er über das Gefühl jener Ehre schon abgekühlt war durch das Schreiten durch den Fluss." Idem vir clariss. iam ante me (ut comperi libro eius ab O. Jahnio accepto, postquam iam meam Winckelmannianae sententiae refutationem conscripsi) argumenta cur sibi displiceat Iasonis nomen nostrae statuae a Winckelmanuo datum haec exposuit: „Allerdings vergass Iason, nach der Erzählung des Pherecydes (Schol. Pind. Pyth. IV., 133) den einen Schuh anzuziehen, nachdem er den Anaurus durchwadet hatte, aber für dieses Vergessen ist weder ein Motiv in der Mythe selbst, noch sieht man überhaupt, warum der Künstler dem Jason den zu vergessenden Schuh so vor die Augen gelegt haben sollte, oder aus welchen Andeutungen man das Vergessenwerden desselben erkennen soll. Nach Apollonius aber war allerdings für das Fehlen des Schuhes ein Motiv dadurch gegeben, dass Hera, als Iason im Begriff war zum Feste zu gehen, in Gestalt einer Alten ihn antrat und bat sie durch den Anaurus zu tragen, bei welcher Handlung der Pietät (ähnlich der des Rudolph von Habsburg an einem Priester) der Held den einen Schuh im Schlamme stecken liess und nun einschuhig vor Pelias erschien. Auf unserer Statue aber ist ein sonst nackter Jüngling ohne besonders charakteristisches Gesicht dargestellt, der sich die Schuhe entweder an- oder auszieht, beides passt nicht auf die Iason-Mythe".

ponere voluisse nostro iure sumimus[65]. Quid insigne inest Iasoni soleam sibi induenti? Id certe non proprium herois illius vel singulare est, quod calceum alligat, sed quod μονοκρήπις ad Peliam venit; quomodo unam amiserit soleam nullius profecto momenti, neque in magno ponendum discrimine. Quae res cum ita se habeat, id quam maxime perspicuum est prudenti artifici in mentem venire non potuisse calceantis se Iasonis imaginem. Quales vero nobis finxerunt veteres artifices alios heroes Herculem vel Thesea vel Meleagrum? aut pugnantes contra beluas seu humanae speciei monstra, aut post certamen victoriae insignibus exornatos[66]. Quid de heroe cogitemus calceamenti lora adducente? Deeratne artificibus argumentum ad Iasonem digniore habitu exprimendum? Nonne tauros viribus pollentes ignemque exhalantes edomuit, viros e draconis dentibus natos devicit et interfecit, nonne horrendum necavit serpentem, qui vellus aureum custodiebat?

Winckelmannus ipse[67] verissime dixit: „Die Formen bildeten sie (die alten Künstler) an Helden heldenmässig, und gaben gewissen Theilen eine mehr grosse als natürliche Erhabenheit“ e. q. s. Nostri autem iuvenis corporis formas heroi omnino non convenire, quod adspicientibus nobis apparet, Müllerus quoque vidit[68].

Exstant porro non pauca et litterarum et artis monumenta, e quibus imago ab ea quam Iasonis esse statuam contendit Winckelmannus elucebit quantumvis abhorrens.

Ac recensenti mihi monumenta literis mandata, primo collocandum est loco Pindari carmen Pythicum IV., quippe quod Iasonis et figurae et ingenii universa specie magnifice expressa facem quasi praetulerit omnibus quicumque vel poesi vel soluta oratione Argonautarum ducis laudem atque gloriam posteritati tradiderunt. His autem versibus Pindarus Iasonem Iolcum advenientem describit (v. 79 sqq.):

ἷκετ᾽ αἰχμαῖσιν διδύμαισιν ἀνὴρ ἔκπαγλος · ἐσθὰς δ᾽ ἀμφότερόν νιν ἔχεν,
ἅ τε Μαγνήτων ἐπιχώριος[69] ἁρμόζοισα θαητοῖσι γυίοις,
ἀμφὶ δὲ παρδαλέᾳ στέγετο φρίσσοντας ὄμβρους ·
οὐδὲ κομᾶν πλόκαμοι κερθέντες ᾤχοντ᾽ ἀγλαοί,
ἀλλ᾽ ἅπαν νῶτον καταίθυσσον.

---

[65] Goethe, Ueber Kunst und Alterth. II., 1. p. 182, quem laudat Meyer (Gesch. d. bild. Künste b. d. Griech. I. p. 205): „höchster Grundsatz der Alten war das Bedeutende, das höchste Resultat aber eine glückl. Behandlung das Schöne“. — Conf. Schorn, Ueber d. Studien d. griech. Künstler p. 16, 65 al.

[66] Vide exemplorum luculentam copiam a Müllero (Handb. d. Arch. d. Kunst. § 410 sqq.) collectam.

[67] Gesch. d. K. Buch V., Cap. I., § 40.

[68] Handb. d. Arch. d. K. § 412, 4: „Die Statue des Sandalenbinders hat nichts von heroischer Grösse“.

[69] Th. Panofka, Ueber die Magnetentracht, Archaeol. Zeit. IX. 1851 p. 399.

Talis cum intrepido animo in populi frequentiam prodiret, unus et alter mirabundus ob insignem formam et staturam, anne deus esset, quaerebat:

Οὔτι που οὗτος Ἀπόλλων, οὐδὲ μὰν χαλκάρματός ἐστι πόσις
Ἀφροδίτας[70]) . . . . .

Pelias ipse quamvis homo validus et audax[71]) Iasonis conspectu metu perculsus — quem tamen dissimulare studet — eum interrogat quis sit, cui quidem ille placide ac confidenter respondet, redire se, Chironis[72]) alumnum, ut regnum sibi debitum recuperet. Novi postea nihil addit Pindarus perfecte iam expressae Iasonis imagini, sed velut confirmaturus eam heroem illum appellat κάλλιστον ἀνδρῶν (v. 123), σοφὸν (v. 217), καρτερὸν ἄνδρα, et v. 158 de eo dicit: ἄνθος ἥβας κυμαίνει; v. 237 sq.... ἴυξεν δ' ἀφωνήτῳ περ ἔμπας ἄχει δύνασιν Αἰήτας ἀγασθείς.

Non leve autem Iasoneae virtutis documentum inde petas, quod Pindarus initio carminis eum Argonautarum a Deis genitorum ducem nuncupat[73]). Imaginem ergo a Pindaro exhibitam, posteriorum temporum et poetas et prosae orationis scriptores tamquam exemplum in Aesonidae forma animique indole describendis imitatos esse sine ulla dubitatione affirmare licet. Quo in numero Apollonius Rhodius, ut poetas primum perlustrem, Iasonem ad tauros aratro subiungendos sese accingentem Marti et Apollini comparat[74]). Eundem ubi (lib. I. v. 307 sqq.) Argonautarum ducem Apollinis similem praedicat, de longis quibus conspicuus est Iovis et Latonae filius capillis potissimum cogitasse, vel inde patet quod in Apolline Argonautis apparente eos extollit[75]):

χρύσεοι δὲ παρειάων ἑκάτερθεν
πλοχμοὶ βοτρυόεντες ἐπερρώοντο κιόντι.

---

[70]) Probabilis videtur Dissenii in commentario ad hunc locum p. 228 coniectura, Otum, Ephialtem et Tityum proximis versibus commemoratos, propter Arcesilaum, cui Iason mythicum παράδειγμα proponitur (p. 217), ut παραδείγματα ad deterrendum proposita esse; in Iasonem enim non cadunt neque Aloidarum ferocitas insolentiaque erga Deos, quos ille semper magni aestimavit (Strabo VI., 1, p. 252 μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Σιλάριδος Λευκανία καὶ τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν τῆς Ἀργῴας, Ἰάσονος ἵδρυμα; XII., p. 575, 11.; I. p. 45, 38 Apoll. Rh. I., v. 425 Val. Fl. I. Orph. Arg. multis locis), neque Tityi petulantia, quia Latonam tentasset (Odys. XI., v. 580) a Diana occisi (sec. Pind.)

[71]) Hom. Odys. XI., v. 255 sq. Hesiod. theog. v. 995 sqq.

[72]) Conf. Nem. III., v. 53 sq. et schol. ad eum locum; Welcker, kl. Schrift III. p. 4.

[73]) . . . εἶπε δ' οὕτως (Μήδεια)
ἡμιθέοισιν Ἰάσονος αἰχματᾶο ναύταις.

[74]) III., v. 1282 sq.: . . . γυμνὸς δέμας, ἄλλα μὲν Ἄρει
εἴκελος, ἄλλα δέ που χρυσάορι Ἀπόλλωνι.

[75]) II., v. 676 sq.

Propter cincinnos radiorum instar diffusos (Pindari καταίθυσσον te meminisse velim) summa pulchritudine totius figurae adiuncta, idem poeta Iasonem sideri contulisse videtur[76]), quem cum in ceteris tum in hac quoque re secutus est Valerius Flaccus[77]). Denique etiam Ovidius formae dignitatem oculorum venustatem flavumque crinem in Iasone collaudat[78]); in Orphei vero Argonauticis summis exornatur laudibus et pulchritudo et magnitudo roburque eius ita, ut omnibus praestare dicatur comitibus quorum consessus Aeetae deis immortalibus similis esse videbatur, quippe cui Iuno:

κάλλος τε μέγεθός τε καὶ ἠνορέην ὑπέροπλον[79])

impertiverit: Iam Hesiodus[80]) fortem Iasonis animum eo comprobat, quod secum abduxisse Aeetae regis filiam τελέσας στονόεντας ἀέθλους dicitur. Apud Apollonium[81]) autem Aeetes ipse, ut apud Pindarum, Iasonis vires quibus in edomandis tauris aeripedibus utitur, admiratur.

Plerumque hastatus est[82]), semel tantum in certaminibus in Cyzici honorem, qui errore pugna noctu exorta ceciderat, habitis arcum intendit: τεινόμενος δὲ προῆκε[83]) βέλος, τὸ

---

76) Βῆ δ' ἴμεναι προτὶ ἄστυ φαεινῷ ἀστέρι ἶσος (I., 744.).

77) Argon. V., v. 467: . . sideris ora ferens; VIII., v. 26: tum quoque siderea clarus procul ore iuventa.
V., v. 364: — at Iuno pulchrum longissima quando
Robur cura ducis magnique edere labores,
Mole nova et roseae perfudit luce iuventae.
Iam Talaum iamque Ampyciden astroque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.
Non secus, auctumno quam cum magis asperat ignes
Sirius, et saevo cum nox accenditur auro,
Luciferas crinita faces . . .
Conf. VIII., v. 228: qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro. Conf. VII., v. 645 et III., v. 80: Bistonas in medios cen Martius exsilit astris
Currus . . . non segnius ille
Occupat arva fureus.

78) Heroid. XII., v. 35 sq.: et formosus eras. —
Abstulerant oculi lumina nostra tui
ibid. v. 11 sq.: Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli
Et decor et linguae gratia ficta tuae?
conf. Apoll. Rhod. III., 443: κάλλεϊ καὶ χαρίτεσσιν μετέπρεπεν: III., 925 λαμπόμενον χαρίτεσσιν.

79) v. 806 sqq.

80) Theog. v. 994 sqq.

81) III., v. 1314; conf. III., v. 1365 sqq. Orph. Argon. v. 878; Apoll. Rhod. IV., v. 1337. I., v. 349; Val. Flacc. IV., v. 222.

82) Apoll. Rhod. I., v. 769; III., v. 1286. Val. Flacc. III., v. 240.

83) Orph. Argon. v. 590 sqq., ubi προῆκε pro οἵ ἧκε ex Henr. Stephani quam Eschenbachius probat coniectura scribendum videtur.

δ'ἀπέπτατο τηλοῦ, quam ob rem ab Argonautis στέφανον ἐλαίης εἵνεκα τιμῆς accipit. Quod ad Iasonis vestitum attinet, a poetis quidem, quod sciam, qui post Pindarum floruerunt quorumque carmina ad nos pervenerunt ferina pelle indutus non commemoratur, sed vestes ei tribuunt vel pretiosas (quale fuisse videtur illud κρόκεον εἷμα apud Pindarum quod tauros aratro subiuncturus deponit) vel acu magnifice pictas[84]).

Poetas qui Iasonem tantis animi corporisque dotibus instruxerunt, ut omnibus antecelleret, dignum habuisse illum qui clarissimae Argonautarum expeditioni praesset, consentaneum est. Itaque Pindarus, ut iam supra vidimus, Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus, Ovidius Iasonem ducem eorum qui Colchidem ad vellus aureum arcessendum navigabant fuisse perhibent, et fortasse Homerus[85]) ob id ipsum eum ποιμένα λαῶν vocat. E Theocriti vero idyllio XX. (v. 30) manifesto apparet poetam Alexandrinum Iasonem Argonautarum principem duxisse, quia heroes θεῶν φίλα τέκνα (v. 29) descendentes facit Ἰησονίης ἀπὸ νηός[86]).

Argutiis rhetoricis exornatam, ita quidem ut antiquam eamque ex Pindaro ductam agnoscas herois fortissimi speciem, tertius scriptor Philostratus iunior[87]) picturam enarrat quam in porticu Neapolitana a se visam ait, Iasonem, Medeam et Amorem cum facula inversa adstantem (imag. VII.): τὸ δὲ τοῦ Ἰάσονος εἶδος ἁβρὸν μὲν, οὐ μὴν ἔξω τοῦ ἐρρῶσθαι. Ὄμμα τε αὐτῷ χαροπὸν μὲν ὑπόκειται τῷ τῆς ὀφρύος ἤθει, φρονούσης τε καὶ παντὸς ὑπεραιρούσης τοῦ ἀντιξόου. Ἰούλῳ τε ἤδη βρύει καθέρποντι, καὶ ἡ κόμη ξανθὴ ἐπισαλεύει τῷ μετώπῳ. Τὰ δέ γε τῆς στολῆς, λευκὸν χιτῶνα ἔζωσται, λεοντῆν ἐξηρτημένος, καὶ κρηπῖδα ἐνῆπται. Ἀκοντίῳ τε ἐπερείσας ἑαυτὸν ἕστηκε. Τὸ δὲ ἦθος τοῦ προσώπου οἷον μήτε ὑπερφρονεῖν, αἰδεῖται γάρ, μήτε ὑποκεῖσθαι· θαῤῥεῖ γὰρ τὸν ἆθλον. — Haec a Philostrato descripta pictura tamquam argumentum rhetoricum iam nobis transitum parat ad servata hodie artis monumenta quae Iasonis figuram repraesentant. Quibus percensitis communem a scriptoribus et artificibus expressam herois celeberrimi imaginem paucissimis verbis comprehendam. Duobus potissimum laboribus Aesonis filius summam adeptus est virium fortitudinisque gloriam, ignivomos Aeetae tauros do-

---

84) Apoll. Rhod. I., v. 721 sqq.: δίπλακα πορφυρέην, in qua multa δαίδαλα intexta erant. Val. Flacc. II., v. 409 (Hypsipyle Iasoni dederat) „chlamydem textosque labores". Apoll. Rhod. III., v. 1204: φᾶρος κυάνεον — ἀδινῆς μνημήϊον εὐνῆς.

85) Il. VII., v. 468.

86) Nec minus quam poetae Iasonis fortiter facta extollunt Diodorus Siculus IV., c. 40 et Trogus Pompeius (Justin. hist. Philipp. XLII., 2).

87) „Fucum oratorium et affectationem minus aegre ferimus, dum veritatem artis, veluti naturalis cuiusdam formae, translucere videmus; dumque ex inventionis virtutibus manum artificis iudicamus, scriptori etiam veram admirationem extorqueri, qua oratio ipsa deliniri et quasi abripi videatur, facillime credimus". Welckerus (Philostratt. imagg. et Callistr. statuae ed. Jacobs et Welcker) p. LXVI.

mando et suscepta contra insomnem draconem pugna[88]), cui pellem auream arietis, quo Phrixus in Colchorum terram vectus erat, eriperet. Quas pugnas hanc ob causam saepissime artificum operibus depictas invenimus. Boum enim subiugatio multis illustratur anaglyphis et uno Neronis nummo.

I. Pulcherrimum in Luparae hodie asservatur museo anaglyphum[89]). In cuius altera (laeva) parte iuvenis Herculeis corporis formis insignis, extensa sinistra manu dextrum exsultantis, validissimis cervicibus excellentis tauri comprehendit cornu, laevoque pede saxo, cui insidet Aeetes barbatus sceptrum tenens oculisque ad eam rem quasi mirabundus conversis, firme obnixus et dextro pede lato egressu ad dextram corpore simul inclinato posito, summis viribus taurum ita retinet, ut belua robusta, fortiori ab heroe devicta, iam caput cervicesque paulum retorserit et deorsum flectere coacta sit, vano mugitu furorem edens — os enim paululum apertum conspicitur.

Caput Iasonis, caput tauri versus directum, mutilatum est, dextrum brachium defractum, corpus nudum laciniis tenuibus chlamydis fibula collari constrictis minimam infimamque colli partem obtegentibus. Temone post Iasonem taurumque expresso aratrum significatum esse apparet. Ceterum cum id solum mihi propositum sit, ut Iasonis figuram quantum id describendo fieri potest, dilucide proponam, perbreviter tantum eas personas, coram quibus heros ille sive inspectantibus sive adiuvantibus mirificas perfecit pugnas laboresque difficillimos, attingam.

In nostro igitur anaglypho penes regem Aeetam, Medea ut videtur adstat, post eum iuvenis hastatus chlamyde iudutus, quem Absyrtum appellares possis. In altera anaglyphi parte Iason vir validus lorica chlamydeque superiniecta amictus, dextram praebet Medeae tunica talari vestitae, velo a capite post tergum defluente, inter quos Iuno pronuba efficta est; post Iasonem Amor arcum tenens et Iasonis comes visitur.

Cum in eo quod modo descripsi ectypo[90]) unum taurum depictum invenerimus, in ceteris quae nunc afferam duos, quos edomat Argonautarum dux tauros expressos videbimus.

---

88) Pind. Pyth. IV., v. 245; Apoll. Rhod. II., v. 1208, 1213; Orph. Argon. v. 934; Ovid. Heroid. VI., 37.

89) Depictum est in Clarac. Mus. de Sculpt. Pl. 199, Bouillon III., Bas-Reliefs Pl. 19, 1.

90) Perperam Pylius mihi scripsisse videtur (l. s. s. pag. 33): „Verum haec res apparet, anaglyphum (Clarac. pl. 199) esse mutilatum atque primo duos boves fictos." Si haec res ita se haberet, Iasonis statum alium necessario videremus, heroem autem hic uni devinciendo tauro intentum esse ex ore et corporis habitu facile intelligitur. Simili modo Hercules in metopa templi Iovis quod Olympiae est, taurum Cretensem domans exsculptus est, ad quod exemplum Iasonis figuram factam esse, non nihil habet probabilitatis. Depicta est apud Müller. D. A. K. I., 30 n. 130.

2. In anaglyphi apud Begerum[91]) depicti sinistra parte Iason dextra manu laevum alterius bovis cornu prehendens summa virium contentione caput deprimit, trunco ad dextram inclinato, dextri pedis digitis terrae firmiter insistentibus, calcem autem paulum a terra sustulit, quo maior dextro brachio in deprimendo tauri capite vis accederet; eandem ob causam laevi quoque pedis calx paululum a terra amota expressa esse videtur. Femoribus mediae et posteriori alterius tauri corporis parti appressis, Iason dextra manu arrectum sese tollentis dextrum cornu prehendit. In hoc quoque ectypo Iasonis facies mutilata, corpus nudum, chlamys ut supra sita est, post boves arbor, in terra iugum cernitur. Prope Aeetam in saxo sedentem adolescens hasta armatus adstat.

3. Tertii anaglyphi fragmentum in palatio Colonnae collocatum est, teste Winckelmanno[92]).

4. Torosissimus vero Iasonei corporis truncus — caput enim, collum et crura inde a genubus decussa sunt — Taurino marmore[93]) ostenditur; dexter quidem taurus eidem apud Begerum similis est, validior tamen et ut is cuius dextrum cornu vir fortissimus sinistra manu arripuit oculis distortis quo declaretur boves vim herois ultra sustinere non posse. Utriusque tamen et pedes priores et dextri tauri pectus detruncati sunt. Iuxta pars arboris formata est.

5. Sextum ectypum quod hodie Viennae asservatur, O. Iahnius descripsit[94]).

De Neronis nummo, quem ipse inspicere non potui Pylius[95]) haec affert: „Iason vestimento promisso duos boves aratro adiungit.“ Sin autem eis quae modo enumeravi artis monumentis, lectori benevolo me comprobasse puto artifices secundum poetas fictasque veterum fabulas validissimum sibi cogitatione finxisse Iasonis corpus, operibusque confectis nobis ob oculos posuisse, nunc quidem alia proferam exempla in quibus heros ille aut ut ephebus aut ut vir ingenti statura roboris dignitatisque plena, crinibus promissis praeditus, animum

---

91) Quo et boum ferocitatem frangentem, cum serpente pugnantem et Medeam uxorem ducentem exsculptum videmus Iasonem. Spicil. Antiquit. p. 118 sqq.

92) Denkmale, 2. Thl. 1. Abschn. p. 43 (Eiselein). „Dieselbe Geschichte ist auf einem andern Bruchstücke vorgestellt; welches in der Basis einer Statue in der Galerie des Hauses Colonna eingesetzt steht.“

93) Marmor. Taur. II., 39, 22; Flangini, Argon. II. p. 199; Cavalleri ant. Rom. stat. II., 2. Mus. Veron. 223; Millin., Gal. mythol. tab. 175, n. 424.

94) Archaeol. Zeit., XII. Jahrgang, p. 454 prox. sub n. 171 Scene I. . . . Aeetes auf einen Sessel, neben ihm ein bärtiger Mann stehend . . . . Beide sehen auf Iason, der nackt bis auf die flatternde Chlamys zwischen zwei Stieren steht, die er beide beim Horn gefasst hat; der eine ihm zur Linken bäumt sich, der andere sinkt in die Kniee, e. q. s.

95) Dissert. de Medeae fab. p. 33, conf. Pedrusi: Mus. Farnes. V., 3, 6.

fortem et constantem prae se ferens occurrit. Quoniam igitur ad ea artis opera pervenimus, quibus Iasonis cum dracone immani pugna repraesentata est, primum ectypum apud Begerum exstans, cuius iam supra mentionem feci, describam. In eo autem Iason viri robusti speciem praebens, barbatus[96]), galeatus gladioque ad laevum latus pendente armatus, chlamyde laevo brachio involuto, dextrum genu saxo innititur manuque dextra — brachium ipsum et laevus pes mutila sunt — ramum arboris quam serpens amplexus est comprehendit. Medium draconis corpus, fumo qui e turibulo sub arbore posito profunditur stupescentis, capite ad eam partem qua Iason adstat demisso, a Medea ad dextram arboris collocata, taenia ut videtur alligatur arbori. Huc pertinere videtur etiam anaglyphum in villa Ludovisi expositum[97]). Ectypo autem quod Viennae visitur Iasonis pugna cum dracone illi apud Begerum similiter expressa esse videtur[98]).

Iam, missis duobus anaglyphis quippe quibus Iasonis figura qualis sit non plane dignosci possit[99]), ad vasculorum picturas quibus Iasonis et pugna cum dracone et proximae rerum vicissitudines pariter ac res vel ab Iasone vel ab Argonautis ante eam gestae effictae sunt, transeamus.

1. Quarum primum tenet locum pulcherrima Campani vasis imago[100]), quae alta arbore quam draco amplexus est et de cuius laevo ramo maximo magnum arietis vellus dependet, in duas dividitur partes. Ad sinistram adolescentem videmus cuius corporis formae, latum praecipue pectus, ab Herculis formis — qui in dextra parte tabulae (HE . . .), caput, laevum brachium dorsumque leonina pelle indutus, clavam ad draconis caput feriendum sustulit — proxime absunt, nudato capite de quo densi cincinni ad cervices defluunt, chlamyde post tergum, fibula collari constricta, delabente amictum, audaci animo serpentem suspicientem utraque mannu hastam longissimam gerentem; dextra ad maxillam serpentis inferiorem intendit ictum, laeva hastae innititur. Inscriptione FIAΣΩN confirmatur quod dubium

96) Barba ab inepto restauratore addita esse videtur, quia Iason in tertia ectypi parte, nuptias eius cum Medea referente imberbis effictus est. Beger. p. 120 (Pyl. l. s. s. p. 36.) Flangini, Argon. II., 430.

97) Platner u. Bunsen, Beschreibung der Stadt Rom, III. Bd. 2 Abth. p. 586: Relief, welches einen mit einem Schild bewaffneten Krieger vorstellt, der gegen eine Schlange zu kämpfen scheint. Bei derselben eine Frau mit einer Frucht in der Hand" e. q. s.

98) Otto Iahn loco nota 116 l., Zweite Scene: „Medea . . . . fasst mit der Rechten einen Zweig des Baumes . . . . Iason stützt auf der anderen Seite des Baumes das rechte Knie auf einen Felsstein und erfasst mit der Rechten das Vliess, das auf dem Baum liegt. Er ist unbärtig, mit Helm, Panzer, Stiefeln und rundem Schild gerüstet."

99) Combe, Terr. 52; Campana op. d. pl. 63. quae fragmenta duas partes unius monumenti esse Pylius (l. s. s. p. 36 prox.) demonstravit.

100) Mon. ined. d. Inst. V., Tav. 12.

nemini esse potest hunc heroem esse Iasonem. Superne ΚΑΛΑΙΣ destricto telo advolat, post Iasonem duo iuvenes, alter gladio alter hasta armatus, monstro immani perterriti iam pugna desistere videntur. Pone Herculem alter Argonauta laevo brachio scuto proiecto, dextro draconem petit telo. De superiori eiusdem lateris parte ΜΗΔΕΙΑ Phrygio vestitu, laeva arcam tenens, dextra manu duo folia oblonga caput draconis versus porrigens appropinquat; prope eam Amor sedens speculum sustinet.

2. Iason solus gladio draconem appetens vasculi pictura, apud Millingenium[101]) expressa, ostenditur; in ea quoque arbor circa quam serpens volvitur medium locum obtinet, a dextra autem parte Iason iuvenili sed tamen robusta specie effictus, chlamyde scuti loco brachio implicato, capite longis capillis exornato pileoque Thessalorum more tecto, dextra gladium stringit; pulchrum os audaciam fortitudinemque prae se ferens in draconem conversum est, qui caput ad laevum arboris latus demisit, ubi Medea saxo insidens pateram tenet, a tergo Medeae Boreae filiorum unus adstat[102]). In altera parte mulier stat in suggestu dextra manu admonendi gestu sublata, a Millingenio probabiliter Venus nominata.

3. Tertiam imaginem in vase Neapoli asservato depictam Panofka[103]) hisce verbis enarrat: „Medea mit oberhalb gezackter phrygischer Mütze . . . in der Rechten eine Binde: sie giebt aus der Linken der um einen Baum gewundenen Schlange aus einer Patera zu trinken, während rechts Iason, mit dem Schwerdt nach ihr gerichtet, das am Ast hängende goldene Vliess abnimmt. Er ist bärtig und trägt einen kurzen, gestickten, breitgegürteten Chiton und Stiefeln. Links neben Medea ein Argonaute mit Chlamys und Wehrgehenk, im Steinwurf nach der Schlange begriffen, und rechts über Iason ein anderer mit der Lanze nach ihr zielend; beide sind bekränzt“ e. q. sq.

4. In imagine, quae in collo eximiae amphorae picta ab O. Iahnio[104]) primum recte explicata est, Medeam videmus saxo insidentem et Iasoni arcam qua ut videtur φάρμακα continentur offerentem. Heros ipse corporis magnitudine latoque pectore inter Boreadas aliumque comitem hastas tenentem eminet, laevaque manu hastae innixa dextram inter loquendum sustulit. Caput fascia vinctum est, quae comam contineat; brevi chlamyde indutus fibula supra pectus conexa, gladium loro transversum pectus ambiente ad laevum latus suspensum gerit.

101) Vases Grecs d. div. coll. pl. VI.

102) Non ut Pylius scripsit: „per auras fertur“.

103) Neapels antike Bildwerke, p. 326 n. 143.

104) Musei Berolinens. n. 1022. Gerhard. Apul. Vasenbild tab. X. Conf. Otto Jahn (Rhein. Mus. Neue Folge 1847 p. 295).

5. Iam afferenda est imago pulcherrima in amphora Musei Monacensis[105]) depicta, cuius in inferioris partis supremo loco saxum cernitur satis altum arietis pelle tectum cui draco incubat. Corpore in semet convoluto capite erecto linguam longe porrigit ad pungendam Iasonis manum laevam qua ille, magno impetu adversus monstrum illud aggressus, extremam pellis partem apprehendit, dum retorto dextra gladio serpentem ferire studet. Chlamyde dextrum brachium ad carpum usque obtegitur. Corpus pro adolescente validum, capilli satis longi; petasus cervici impendet, pedes calceis venatoriis instructi sunt. Prope eum Medea Graeca veste induta, nudo capite, sublata dextra manu, adstat. Praeterea duo iuvenes alati, alter hasta innixus alter saxo insidens, Boreae filii et quintus Argonauta in extremo laevo picturae latere positus repraesentati sunt, qui pugnae periculosissimae spectaculum intuentur.

6. Pugna inferiori speculi Tusci parte insculpta ab E. Braunio[106]) his verbis describitur: „Vediamo un dragone che si slancia contro un nudo atleta, il quale mentre allunga la sinistra verso oggetto non troppo chiaramente espresso, nella destra stringe un gladio“. Longi herois fortissimi capilli hic quoque facile dignoscuntur.

7. Iason (ΙΑΣΟΝ) barbatus, crinibus promissis, caute e draconis intus necati faucibus elabens, brachiis terram versus protensis quo lapsus motum augeat, in fundo calicis in sepulcro prope Caere reperti pictus est[107]). Minerva longa hasta dextra manu innixa laeva noctuam tenens coram adstat, attente spectans idque curans ut videtur, ne Iasonis corpus acutis beluae dentibus laederetur. Pone arbor conspicitur a qua vellus aureum dependet.

8. Pictura Perusina[108]) vir ingenti validaque statura, imberbis, sed longis capillis longo pallio caput, laevum brachium totumque tergum ad calces usque tegente indutus, effictus est, qui pedem sinistrum prioribus aperti draconis oris dentibus interposuit totoque corpore paululum inclinato capite superiores beluae dentes attingente, dextra manu gladium in vaginam quam laeva manu tenet, recondit. A Pylio (p. 41) haec tabula ita explicatur, ut Iasonem in fauces draconis irrumpere putet, sed Welckerus rectissime: „Das Schwerdteinstecken

---

105) O. Jahn, Beschreib. d. Vasensamml. Kön.Ludw. n. 805 p. 254. Dubois Maisonn. pl. 44. Ann. inst. arch. XX. tab. G.

106) Oreste Stretto al parricidio Roma 1841 p. 9. conf. Welcker. Alte Denkm. III., p. 384. Gerhard, Etr. Spiegel tab. 238.

107) Gerhard (Iason des Drachen Beute. Berl. 1835) eam primum publici iuris fecit, sed non recte interpretatus est; conf. Welcker, Alte Denkm. III. p. 378 sqq. M. I. d. I. II., 35. Annal. VIII., p. 289.

108) Welcker, l. l. p. 382 sqq. Mon. I. d. I. V., tav. 9. Annal. XXI., p. 107—14. Videas, si placet, figuram in nostra tabula sub n. IV. depictam.

bedeutet die vollbrachte Siegesarbeit: die Stellung dabei in dem im Tod geöffneten Rachen des Thieres, dass sie im Augenblick und mit kaltem Blut, ohne dem Helden einen Schauder zurückzulassen, vollbracht ist; der Charakterausdruck wird auf diese Art gesteigert".

9. Iason denique tot laboribus periculisque feliciter defunctus vellus aureum ad Peliam perferens vasculi pictura apud Millingenium[109]) exhibita illustratur. Ipse corpore magno, lato pectore, collo solido, crinibus promissis conspicuus, sinistra duabus hastis innixus, gladio ad laevum latus pendente, dextra longam arietis pellem tenens ante Peliam in solio sedentem consistit. Iolcorum rex admiratione affectus videtur, cum Iasonem id praestitisse videt quod eum non exsecuturum fuisse pro certo habuerat. Prope Iasonem Medea pilae acclinis, superne ad dextram Mercurius chlamydi insidens comparet; infra mulier sellam apportat. Superne Victoria cum taenia, qua fortem Aesonis filium exornet, advolat.

Denique omittendae non sunt duae Iasonis imagines, quas si adspexeris, artifices Pindari locum iam supra allatum:

Οὔτι που οὗτος Ἀπόλλων, οὐδὲ μὰν χαλκάρματός ἐστι πόσις Ἀφροδίτας

ante oculos habuisse veri esse simile concedes.

10. Quarum primam quidem musei Kircheriani cistae aereae inscalptam invenimus[110]). In ea parte qua Pollux Bebrycorum regem pugilatu devictum arbori alligat prope Minervam iuvenis chlamyde, quae ad dextrum latus delabens saxum obtegit, vestitus sedet, sublataque dextra manu hasta innixa, laeva manu sinistro genu imposita mentum suffulciente, pulcherrimum os intento animo in Pollucem Amycumque convertit. Cincinni uberrimi laurea cincti ad cervices defluunt, pedes calceati sunt, de toto corpore iure dicas: ἄνθος ἥβας κυμαίνει. Cuinam haec figura melius conveniat quam Iasoni cuius hic praesentiam postulamus? Quisnam dignior qui primum prope Minervam locum obtineat quam clarissimus ille Argonautarum princeps? Quo factum est, ut eum Iasonem esse iudicaverint et Otto Iahnius[111]) et Gerhardus[112]).

11. Neque quidquam dubitationis habet quin in vasculi pictura omnium pulcherrima[113]) in eo iuvene Iasonem agnoscamus, qui pulchritudine, robore, magnitudine, dignitate super-

---

109) Vases Gr. d. Dio. Coll. Pl. VII.

110) Mus. Kircher. Aerea I. Müller. D. A. K. I., 61. 309. E. Braun, d. Ficoron. Cista. Gerhard. Etrur. Spieg. II., 171, tab. 238.

111) Die Ficoron. Cista p. 11.

112) Archaeol. Zeit., III. p. 167.

113) Nomine a Talo accepto vas satis notum. Bull. Neap. III., tab. 5, 6. Arch. Zeit. 1846, p. 314. tab. 44, 45, coll. a. 1848 tab. 24; conf. Pyl. p. 46. Avellino, Il mito di Talo (Neap. 1847); Otto Jahn Beschreib. d. Vasensamml. p. XLI.

boque habitu omnibus excellens dextra manu duas hastas gerens, laeva in latere posita cum muliere manu concham tenente (Venere) colloquitur. Coma effusa cincinnis corona laurea redimita est. In ore eius pulchritudo ut ita dicam heroica expressa est, quo efficitur ut et Marti et Apollini similis videatur. Tunica limbata figuris intextis cinguloque vincto amictus est (pedibus inde a genibus nudatis) chlamyde panno tenuiore confecta fibulaque collari coniuncta laevum brachium tegente superindutus. Gladius ad laevum latus, petasus in cervice pendet.

12. Reliqua est, ut alias missas faciam, pictura vasis praestantissima Conosae reperti[114]), in qua Iason vir magnus, valens, barbatus cum longis capillis iam provectioris aetatis, quippe filiorum duorum pater, expressus est. Dextra manu hastam, laeva gladium in vagina reconditum tenens, chlamyde laevo brachio involuto, approperat, ut Medeam impediat quominus filium interficiat.

Iasonis igitur imago, qualis in litterarum artisque monumentis exstat, haec fere est: Ingenti gaudet et magnitudine et robore corporis summaque fortitudine, ita ut Marti comparari possit; longos capillos habet summaque et pulchritudine dignitateque insignis est, ut Apollini non dissimilis appareat. Saepissime duabus hastis armatus est pedibus aut calceatis aut nudatis, nusquam alibi nisi pictura a Philostrato descripta μονοκρήπις effictus est. Quam quidem imaginem a Parisino signo quam maxime discrepare non est quod iterum moneam.

Argumentis igitur cum e re ipsa tum e poetarum, scriptorum, artificumque operibus petitis comprobasse mihi videor, Iasonis nomen nostrae non aptum esse statuae.

Itaque equidem contendere audeo omnia quae in Iasonis figuram non quadrant, procerissima gracillimaque membra dico, breves capilli, os pulchrum quidem sed nimis tenue subtileque quam ut herois esse possit, quod iuvenis attento animo aliquid auribus percipere videtur, quod calcei lora pedi adstringit — haec omnia inter se apta conexaque esse, si Mercurii ad exsequenda Jovis mandata sese accingentis imaginem ab artifice hoc signo nobis ante oculos positam esse existimamus.

Cuius sententiae ut rationem reddam, paucis de universa Mercurii specie et figura, quales ut deorum nuntii in optimi artificii monumentis effictae sint, exponam, tum frequentem esse in artis operibus eum dei illius statum quo dextro vel laevo genu inflexo altiusque collocato (ut ad protinus avolandum paratus sit) aut patris deorum iussa ad homines perferat aut ab eo capessere videatur, exemplis probabo, denique duo quibus vel maxime explicatio mea reddatur probabilis afferam argumenta.

---

114) Millin, Tombeaux de Canosa tab. VII.; Gerhard, Arch. Zeit. 1847, tab. III., ubi Otto Iahnius p. 33 prox. picturam illam praeclare explanavit.

Ad Mercurii formam ergo quod attinet iam Winckelmannus[115]) praeclare: „Die schöne Jugend im Apollo gehet nachdem in andern jugendlichen Göttern zu ausgeführtern Jahren, und ist männlicher im Mercurius und Mars. Mercurius unterscheidet sich durch eine besondere Feinheit im Gesichte, welche Aristophanes 'Αττικὸν βλέπος würde genennet haben (Nubes v. 1175), und seine Haare sind kurz und kraus."

Quod quidem viri celeberrimi iudicium cum in nostrum signum optime quadrat — ne longus sim in re apertissima lectorem ad descriptionem (pagg. 8—11) eius relego — tum multis Mercurii statuis comparandis egregie confirmatur[116]).

Tum is Mercurii status quo uno pede saxo imposito vel omnino altius collocato deorum regis dicta hominibus tradat, in vasculorum picturis saepissime observatur. In superiore enim parte vasis Apuli[117]) eximiae pulchritudinis, in quo iudicium Paridis depictum est, Mercurius iuvenis cum brevibus crispisque capillis, petaso, chlamyde volitante calceisque instructus, laevum pedem in tribus lapidibus alio super alium collocatis, ponit, laevaque manu caduceum tenens, dextram gestu loquentis elatam tenet. Deabus enim ad Paridem deductis, consilium Iovis ut quae pulcherrima sit decidat, ei pronuntiat. In alio vase picto[118]) Mercurius pulchra eaque iuvenili forma conspicuus est, coma subcrispa petasoque in cervices reiecto ornatus; laevo brachio chlamyde involuto et sublato femore fulto manu caduceum tenet, dextram autem digito indice et digito medio erectis extollit virumque comatum lyram tenentem alloquitur. Pedes talaribus induti sunt.

Sequitur vasculi Tusci pictura[119]) a Panofka de Mercurio ante Penelopam posito explicata. Deus dextro pede saxo superimposito dextram manum cuius inter digitum indicem et medium caduceus positus est genu nititur, brevis coma hedera cincta est, petasus post caput dependet. Gladio armatus sinistram quae chlaena limbata tegitur hasta fulcit, capite ad laevam converso quasi aliquem circumspiciat quem audiat. Pedes eius calceis in-

---

115) Gesch. d. Kunst, Buch V., Cap. 1, § 16.

116) Conf. Clarac. Mus. d. Sculpture, Tome IV., Pl. 655 n. 1508; 656 n. 1529; 657 n. 1509; 658 n. 1513 A.; 659 n. 1517; 660 n. 1518 (Mus. Florent. Gorii III., 38 et 39); 661 n. 1524; 662 n. 1531; 663 n. 1530 (Mus. Pio-Clem. I., tav. 6) n. 1535; 666 B. n. 1516. — In anaglyphis: Mus. Pio-Clem. V., 18. Millin, Gal. myth. tab. 156, 561; M. J. d. J. III., 17, 29; Ber. d. Verhandl. d. Sächs. Acád. 1856. H. Phil. Classe taf. III. D., in vasculorum picturis: Gerh. Apul. Vasenb. tab. VIII. Lenorm. et de Witte, Elite de mon. ceram. Pl. 96; de la Borde I., Pl. 34, 75, 85; Millin. Peint. de Vas. I., 46; II., 37, 44 al.; in gemmis: Mon. Ined. d. Inst. II., tav. LIX., 4 al.

117) Gerhard, Apul. Vasenb. tab. XI., conf. tab. D 1.

118) Mon. Ined. d. I. V., tav. 23.

119) E collectione Passerii, Pict. Etrusc. T. II. 186. Panofka, Abhandl d. Akad. d. Wissensch. zu Berlin 1839, phil. hist. Cl. p. 28, tab. III., 2.

structi sunt, iuvenilique utitur corporis forma. Speculi Tusci imagine[120]) Mercurius ostenditur qui, dextro pede in saxo collocato brevi cum chlamyde, pileo soleisque alatis praeditus, laevam manum gestu loquentis sustulit, nimirum Paridem de Iovis arbitrio atque voluntate certiorem facturus.

Deorum nuntius autem ab itinere modo redux ut videtur Iovi prope eum sedenti aut rem quomodo gesta sit exponit aut novum mandatum exspectat, in praeclara vasculi cui nomen a Poniatowskio possessore dari solet[121]) pictura expressus est: vide figuram in nostra tabula sub num. V. delineatam.

Sin eis quae enumeravi artificum operibus Mercurii habitum nostrae statuae similem in eo quod deus unum pedem sustulit — ut is solet qui rem festinanter perficere vult — invenimus, unam in promptu habeo Mercurii imaginem qua depictus est soleam pedi dextro in saxo posito astringens. Namque in Museo Britannico numus Cretensis[122]), Sybritiae repertus, asservatur in quo iuvenis cum brevibus capillis, chlamyde collum ambiente dorsumque tegente indutus, dextro pede in saxo collocato, dextra manu, trunco corporis inclinato, calceamenti lora adducit, laevus pes nondum solea instructus est. Prope dextrum pedem caduceus obliquum stans comparet quo, quod iam ex tota eius specie colligi possit, celerem deorum nuntium hac effigie in conspectum esse repraesentatum pro certo monstratur. Numus autem ille argumentum nobis praebet quo nullum inveniri potest certius aut exoptatius celebratum olim fuisse Mercurii calceos sibi inducentis simulacrum[123]). Quorum unum quidem, sive exemplum ipsum sive statuam imitando expressam Constantinopolim[124])

---

120) Millin. Gal. mythol. tab. 151 n. 535.

121) Millin Vases peints II., pl. 31. Lenorm. et de Witte III., 63; Dub. Maison. Pl. VII., 1. Inghirami Vasi fittili tav. XI.; Visconti, Opere varie vol. II., tav. 1. Conf. similem Mercuri statum in M. I. d. I. I. pl. 57; II. pl. B.

122) Depictus est in: Museum of Classical Antiquities Vol. II. (London 1852—53) p. 292. Vide figuram nostra tabula sub n. VI. exhibitam. Inscriptio ΙΩΙΤΙ mutila haud dubitanter ΝΙΩΙΤΙρβυδ instauranda.

123) „Münzen haben auch dadurch ein hohes Interesse, dass sie über berühmte Kunstwerke des Alterthums, welche sie darstellen, reichen Aufschluss geben". Otto Iahnius, in d. Bericht. üb. d. Verhandlgg. d. S. G. 1848, 2. Bd. p. 212. Conr. Levezow, über die Frage ob die Mediceische Venus ein Bild der knidischen von Praxiteles sei, p. 46 prox. 54 c. a. l.

124) Constantinum enim eiusque filium Constantium II., ut novam urbem statuis operibusque exornarent, signis et columnis cum Asiam et Graeciam tum vero Romam etiam exspoliasse, satis constat. Vide Heynium in Commentat. societ. regiae scientiar. Gottingensis Vol. XI., Class. hist. et philol. ad ann. 1790 et 91 p. 1 prox., qui scriptorum locos collegit.

e Graecia aut Italia apportatam ibique in gymnasio publico Zeuxippi[125]) expositam, Christodorus[126]) his verbis descripsit (Ecphras. v. 297—302):

Ἦν δὲ καὶ ΕΡΜΕΙΗΣ χρυσόῤῥαπις · ἱστάμενος δὲ
δεξιτερῇ πτερόεντος ἀνείρυε δεσμὰ πεδίλου,
εἰς ὁδὸν ἀΐξαι λελιημένος · εἶχε γὰρ ἤδη
δεξιὸν ὀκλάζοντα θοὸν πόδα, τῷ ἔπι λαιὴν
χεῖρα ταθεὶς ἀνέπεμπεν ἐς αἰθέρα κύκλον ὀπωπῆς
οἷά τε πατρὸς ἄνακτος ἐπιτρωπῶντος ἀκούων[127]).

Quae quidem Christodori descriptio Mercurii illius quem vidit in Zeuxippo collocatum adeo cum Parisino et Monacensi simulacro congruit — Anglicana quoque statua, si laevum brachium recte instauratum esset, Mercurio illi simillima fieret — ut, cum etiam numo Cretensi, ut iam supra dixi, praeclaram fuisse priscis temporibus Mercurii statuam soleas in pedes inducentis, quo ad iter accingatur, tres quas commemoravi statuas Mercurii imaginem ad similitudinem antiqui operis celeberrimi, a Christodoro descripti, expressam reddere, mihi sit persuasissimum. —

125) Balneum erat publicum a Severo inchoatum, ubi ingens statuarum numerus collocatus erat, conf. Cedren. P. 369, 370, Codin. de signis C. P. P. 20 d (Bekker. edit.). Quinto Iustiniani imperatoris anno (532) in seditione Nica appellata cum magna pars urbis tum hoc quoque aedificium incendio consumptum est.

126) Panisci filius, Coptis Aegypti oppido natus, qui floruit Anastasio regnante (Ecphr. v. 398), scripsit: ἔκφρασις τῶν ἀγαλμάτων τῶν εἰς τὸ δημόσιον γυμνάσιον τὸ ἐπικαλούμενον τοῦ Ζευξίππου alia, conf. Suid. s. v. Χριστόδωρος; Jacobsium, Comment. ad Anthol. Graec. Tom. XIII. p. 871.

127) Pro χεῖρα ταθεὶς ἀνέπεμπεν vulgo legebatur (conf. Jacobs. in Comm. ad h. l. X., 320) χεῖρα ταθεῖσαν ἔπ., quo factum est, ut Müllerus (Handb. d. Arch. d. K. § 380, 7) haec verba scripsit: „Christodor 297 beschreibt einen Hermes mit höher gesetztem rechten Fuss, an dem er mit der Rechten den Schuh heraufzieht, während die Linke sich auf das Knie stützt, den Blick nach oben gerichtet, um die Befehle von Zeus entgegenzunehmen; also ganz in der Stellung des sogenannten Iason.“ Sed una tantum „Iasonis“ statua (ea quae in Angliam transportata est) laevum brachium genu nititur, quod falso restauratum esse et numo Cretensi, et Parisino et Monacensi signo, in quibus laevae manus versus dextros pedes protensae sunt, probatur. Itaque Iacobsius veram rectamque lectionem: τῷ ἔπι λαιὴν χεῖρα ταθεὶς ἀνέπεμπεν in textum recepit. Statuarum quas Christodorus descripsit monumentis quae hodie adhuc exstant, maxime conveniunt haece: Homeri imago (v. 311—350), conf. Cedren. Histor. comp. P. 369 dequa vide Viscont. Iconogr. Gr. I. Nro. 3 et 4 p. 54 sqq.; Demosthenis statua (v. 23—31), conf. Otto Jahn Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, II. Jahrg. 1844, 3. Heft p. 237 prox. Wagner Annali VIII., 159—164. Mus. Chiaramonti II., 24. Welcker, Akad. Kunstmus. zu Bonn p. 94; de Aeschine (v 13—16), Welcker, Akad. Mus. p. 48. Mus. Pio Clem. VI., 36. Viscont. Icon. Gr. pl. 296 (p. 261); de Aristotele (v. 17—20), Visconti Icon. Gr. I. p. 188, Pl. XX., nro. 7. — Paris et Oenone (v. 215—221), conf. Otto Jahn, Greifswald Progr. 1844, p. 12. Archaeol. Beitr. p. 350. Non recte mihi indicsase videtur Viscontius de Achillis statua a Christod. v. 291—97 adumbrata, quam optime quadrare in statuam Achillis quae in villa Borghesiana visitur (Mon. scelti Borghesiani p. 43) ratus est: „Non si potrebbe comporre un epigramma che sembrasse più proprio ed ad atto alla presente scultura“. Achilles Borghesianus enim quiete adstat, facie tristitiam vel dolorem quendam referente, ut Welckerus, Akad. Mus. zu Bonn, p. 30 prox.

Ceterum cum de artifice qui exemplum confecit nihil certi statui posse videatur, quia scriptorum testimonia prorsus deficiunt, Viscontii (Oeuvres III., p. 240 not. 2: . . . „en relisant Pline, il ne paraît pas invraisemblable que l'original de ces sculptures ait été un bronze de Licius, écolier de Miron, à qui Pline attribue les statues des Argonautes H. N. liv. 34, § 19 n. 17) et Claraci (Descript. p. 258: „Le style tient quelque chose du héros combattant, et ce ne serait pas une conjecture dénuée de probabilité que de le croire de la même main ou de la même école", cui assentitur Müllerus, Handb. d. Arch. § 157, 3) de nostrae statuae auctore sententias refutandas non esse censeo, postquam probavi hanc statuam non Iasonis aut alius herois sed Mercurii esse. Itaque qua aetate et a quo artifice primum illa Mercurii imago inventa sit, in incerto relinquere malui, quam vanis inutilibusque coniecturis indulgere. —

Hermanni Lambeckii Vita.

Natus sum in pago cui nomen est Gurske prope Thorunum sito, die III. mensis Martii anni h. s. XXXV. patre Hermanno, matre Antonia e gente Elsneriana, cuius mortem praematuram lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis a patre inbutus a. XLIV. gymnasium adii Thorunense quod Laubero moderatore tum florebat, viro doctissimo humanissimo quem, ut ceteros quibus usus sum egregios praeceptores, gratissimo semper animo colam. Exeunte anno LIV. maturitatis testimonium nactus Lipsiam me contuli, theologicis et philologicis studiis operam daturus, ubi postquam per biennium scholis interfui vv. dd. Angeri, Drobischii, Fechneri, Fritzschii, Hartenstenii, Klotzii, Nitzschii, Overbeckii, Tischendorfii, Wachsmuthii, Weissii, Westermanni, Wuttkii, Zarnckii, ad hanc Rhenanam philologiae arcem migravi, totum me cum litterarum tum artium antiquarum studio addicturus. Itaque auctumno anni LVI. inter huius academiae Rhenanae cives P. F. Deitersio rectore magnifico receptus, per quater sex menses audivi viros clarissimos: Brandisium, Jahnium, Loebellium, Ritschelium, Schmidtium, Welckerum; tum Brandisii et Georgii a Bunsen summa erga me benevolentia Angliam visendi opportunitate oblata, ineunte mense Maio anni LVIII. Londinum profectus sum, ibique in antiquae artis monumentis quae in vasto illo thesauro Musei Britannici exstant versabar. Sex post menses e Britannia ad Bonnensia studia reverso post breve tempus contigit, ut ab Ern. a Bunsen eximiae et comitatis et liberalitatis viro invitatus, Senatus academici permissu, Francogalliam peragrarem, ubi non solum praeclaram illam in Luparae Museo artis monumentorum collectionem sed operum quoque a Romanis exstructorum, hic illic per meridionalem Galliae partem dispersorum nonnulla, adspicerem. Dimidia anni LIX. parte sic transacta, Bonnam ad dilectissimorum praeceptorum disciplinam redii, quibus ob merita in me collocata nunc gratias ago maxumas; plane singulares vero debeo Ottoni Jahnio, qui quantum beneficiorum in me contulerit per omne vitae tempus pio recordabor animo.

Sententiae controversae.

I. Antiphili epigrammatis versum 4 (Jacobs. Anthol. T. II. p. 172 ep. 13) sic emendo: (Κασσιόπας ἁ λάλος) ἐστ᾽ αἰτία pro εὐτεχνία.

II. Apud Plinium epist. I., 10, 7 Casauboni coniectura „cum non persuaserit" probabilis videtur.

III. Tres sunt partes anaglyphi Pamfiliani (Raoul-Rochette, Mon. ined. tab. LXVII.), quo initium, media pars et finis belli τῶν ἑπτὰ adversus Thebas repraesentetur.

IV. Perperam Heynius (Opusc. Acad. V., p. 53) in Philostrati imag. XV. (Ariadne) ὑπὸ τῶν πετρῶν pro ἐπὶ τῶν πετρῶν scribendum censuit.

V. Rectissime iudicant qui mysticam interpretationem in antiquae artis monumentis summa cautione adhibendam esse censent.


VI. Maximum detrimentum antiquitatis studiis inde nascitur quod ex gymnasiis artis antiquae notitia fere exulat.

VII. Graecorum ars et poesis arctissimo inter se vinculo continentur.

VIII. In gymnasiis non solum ingenia sed etiam corpora exercenda sunt.

Hermann Lambeck.

I



II



IV



III



Lith. Inst. d. Rl. F.-W. [illegible] Henry & [illegible] Bonn